

*XLVIII. 16.* Et nunc misit me Dominus JEHOVA & Spiritus ejus, hæc missio utiqve de inferioritate ejus, secundum hanc naturam, testatur, quia consistit in demandatione suscipiendi officii, adeoque cum imperio conjuncta est ac Subjectionem involvit. Vid. quæ sub Præsidio MAGNIFICI DN. PRO-CAN CELLARII in Disp. pro LICENTIA de quæstione: *Utrum Filius à Spiritu S. fuerit missus?* disseruit Dn. D. Ritter, An. 1706. ubi, quomodo Spiritus S. CHRISTUM hominem tanquam major minorem cum imperio, non per solum consensum, quæ in Divinis personis locum habet & nullam inferioritatem dicit, mittat, uberius ostenditur, §. 16. & 17. Ex his itaq; constabit, in subjicienda humana CHRISTI natura totam SS. Trinitatem esse occupatam, atq; ut causam efficientem istius Subjectionis spectari posse, etiamsi DEO Patri peculiari modo ista tribuatur Subjectio, uti per eandem appropriationem etiam activa τῶν πάντων Subjectio Filio facta ipsi adscribitur.

## CAPUT IV.

De

### *Subjectionis Modo sive Forma.*

§. I.

**E**Xposuimus hucusque quæ ad Subjectionem passivam Filii intelligendam necessario præcognoscenda duximus; Vidimus Subjectionis Terminum, Subjectum, sive personam quæ subjicitur, nec non causam efficientem, cui Filius subjici debet, hinc, ut ad ipsam Formam considerandam progrediamur, res ipsa postulat. Hæc autem commodissime tradi potest

E 3

per